

niam notae eius sunt breues, sensumque poëtae non obscurant, vt fere philosophici nostrorum hominum iusto longiores commentarii, vel centones potius, libros sacros, sed illustrant non parum; eas subiici contextui verborum recte posse existinauimus. Nam Pau iudicium, qui eas ineptas pronunciauit, ego quidem non curandum, sed contemnendum, atque irridendum adeo, arbitror. Etsi enim in hoc viro longe maior fuit, atque accuratior, Graecarum literarum scientia, quam in multis eorum, qui eas in Academiis vel celeberrimis profiteantur; etsi libri eius mihi haud parum ad eiusdem literarum generis intellegentiam profuere: tamen non videtur is fuisse, qui posset, et deberet, de Casaubonorum, Dausqueiorum, Rhodomanorum, Schmidiorum, Baxterorum, aliorumque huius generis hominum doctorum, fama detrahere, eosque inscitiae sermonis Graeci temere accusare, 8 quod in notis ad Theophrastum, Aristaeonem, 9 Calabrum, Anacreontem, Pindarum, et alios scriptores antiquos, fecit quam saepissime; praesertim quum ipse sine dubio multa ab iis didicisset, neque fortasse de emendandis, restituendisque, multis auctorum veterum locis vnquam cogitasset, nisi a summis hisce viris via ei fuisset, ratioque, monstrata. Multo vero minus decebat eorum cogitata *ineptias*, et *nugas*, nullis praesertim rationibus additis, vocare. Baxteri notis, vt in viam redeamus, subiunximus animaduersiones Henr. Stephani, et Taneguidi Fabri, tum vt appare-

nesciremus, an, quibusue in locis, lectiones, notaeque, primi exempli a notis, et lectionibus, secundi exempli discreparent. In titulo quidem editionis secundae addita leguntur verba, *editio altera aliquanto emaculatio, et elucubratio*. Sed quia Baxterus ipse Praefationem primae editionis omisit in

editione altera: nihil sane videtur ea contineri, quod ad res poëtae, eiusque carmina, magnopere pertineat.

8. Vid. Heinius praefat. ad Pindari carmina p. 15., et in hist. editionum eorundem p. 114.

9. Vid. Acta erudit. Lipsiensia A. C. 1738. p. 22. II, et p. 296. II.